

vitia soleant naturæ adhærere, vel arte tegat, vel ea quæ in oculos incurrunt, eradat. Vita Principis omni gladio ac ferro potentior. Quas clades non infert regno una libido? Vince ergo te ipsum, quicumque Regis. Instabile regnum, ubi labas, ita virtus. Atheniensis civitas duos peperit soles, MILTIADEM & THEMISTOCLEM. Hic ut prodesset reipublicæ, igneum & erectum ingenium sustulit, & sibi omnem licentiam interdixit. ALCIBIADES omnes mortales ingenio & dotibus naturæ nobilissimos excedens, clarus victoriis & invictus Imperator famam perpetuæ laudis sibi præripuit vitæ dissolutione & ferocia morum. Quas spes conceptas non succidit vir maximis rebus gerendis natus? Luxus & una lascivia tot virtutes obscurarunt. PERICLES accessurus ad rempublicam omnes vitæ rationes mutavit. Tanti interest, quis sis, ut præsis. Hæc principum conditio, ut vitia, quæ in privatis latent, in regnantibus sint in aperto. Princeps ergo cum sit simulacrum DEI, cum sit pater reipublicæ, cum minister DEI & iustitiæ, cum sit denique omnium signorum visu jucundissimum atque augustissimum, componat se ad effigiem DEI, exhibeat se patrem, & normam & regulam bene vivendi. Perverso enim Principe, necesse est regna præcipiti lapsu ruere ac dissolvi; non aliter quam si quis basi non ad rectam lineam positæ colosum ingentis magnitudinis inædificet, & superstruat, necesse est eum cum basi præcipitem labare defringique. Sit ergo Princeps regula recta, norma inflexibilis morum & virtutum, non curva, non obliqua, quæ ceteri dirigantur, adæquans omnia, quæ illi coherent; se denique componat, deinde rempublicam. Iudex sapiens, ait Ecclesiasticus, Cap. 10. Judicabit populum suum & principatus sensati stabilis erit, secundum iudicem populi, sic & ministri ejus, & qualis est rector civitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum. Quid clarius dici potest? quemadmodum causæ influunt in suos effectus: Ita regentium exempla quorumcumque in sibi subditos. Discipulus bibit venena, vel præcepta sapientiæ à suo magistro velut à fonte pota. Non melius quidquam afferri potest, quam aeris natura, qui lumen recipit & tenebras: Quare præclare Plinius in Pan. ad Trajanum, *Nullum est præstantius & pulchrius DEI munus erga mortales, quam castus sanctus, & DEO similimus Princeps.* Et Plutarchus in NUMA. *Cum Reges sapientes sunt & sancti, tunc respublica maximum quoddam & divinum donum à DEO se accepisse existimet.* Et contra horribile DEI irati flagellum insensatus superior, Vacans sapientia & DEI timore. Princeps ergo cum caput sit, sanitas capitis influit in totum reipublicæ corpus. Teste enim Quintiliano declamatione octava. *Hæc est conditio Principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur.* Et Cicero libro tertio de Legibus Legem duodecimam tabularum enarrans, quæ cavèbatur, ut Magistratus vitio vacarent, atque ceteris specimen essent, hæc verba adjecit: *Ut enim in cupiditatibus Principum & vitis insci solet tota civitas, sic emendari, & corrigi continentia.* Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, quales summi civitatis viri fuerunt, qui talem totam civitatem formarunt. Quæcumque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo futuram. Quare & optime Herodianus lib. 4. Solent plerumque homines vitam principum æmulari. Causam altiori iudicio penetravit Lactantius lib. 4. de Div. inst. Quoniam mores ac vitia principum imitari genus obsequii judicatur. Abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrasse Regi scelus videantur, si pie viverent. Totus quantum est, transmittit Princeps se in subditos, qui principum mores suis moribus exhibent. Manasses impiissimus in Judæam transfudit impietatem. Neronis grassantis per urbem